

rum plaudente memoria, ac conscientiae testimonio contentus. Iure ergo dicere solitum accepimus: Nunquam se minus ociosum esse, quam cum ociosus, nec minus solum, quam cum solus esset. Idque ipsius Africani non mediocrè æmulum Marcum Portium Catonem scriptum reliquisse, Auctor est Cicero.

SCIP. AFRICANVS, II.

HVius nepos & ipse Africanus Scipio, sicut laboris supra fidem patiens, sic ociosæ, cupidus quietis, solus sæpè cum Lælio rusticari peregrinarique solitus creditur, interdumque littoribus Italicis vagabundus, expugnatricem illam Carthaginis, Numantiaque dextram, ad marinas conchulas lapillosque candidulos inter legendos inclinasse, sic enim ad id quod supererat negotium, ocio breuissimi temporis animum recuperabat: verecundè hæc apud Ciceronem reuerenterque narrantur, eos incredibiliter, ne vera deseram, repuerascere esse solitos, cum rus ex vrbe tanquam è vinculis euolassent.

M. T. CICERO.

DVces bellorum memoro: Marcus Tullius Cicero post innumerabiles

a. iij.